



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:


<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.









141.

CANTICI  
SOLOMONIS

*Paraphrasis Poetica.*

---

Arthuro Jonstono Scoto,

Medico Regio, Auctore.

---

*Editio nova, summo studio recognita,*

A C

Notis Illustrata.

---

EDINBURGI,

Apud ROBERTUM FREEBAIRN  
*Anno Domini* MDCCIX.

1013. e. 1.



---

---

Archibaldo Pitcarnio Scoto

*Thomas Ruddimannus*

S.

**P**ITCARNI, placido quem lumine vidit Apollo,  
Cuique dedit plena munera trina manu ;  
Herois Siculi radium, medicamina Coi,  
Atque Venusinae dulcia plectra lyræ :  
Ad Te confugiunt Solymi cœlestia Regis  
Jonstono Latiis carmina culta modis,  
Jonstono gemina redimito tempora lauro,  
Vel Te, vel Clario carmina digna Deo:  
Auspiciis ut tuta Tuis, ereptaque morti,  
Incipiant cœlo liberiore frui.





---

# Lectori Candido.

S.

**D**ivini, quod tibi exhibemus, Cantici Paraphrasin aggressi sunt plurimi, et in his nonnulli Scoti; neminem tamen omnium eque faventes Musas atque Arthurum Jonstonum habuisse ultro fatebitur quisquis ipsum cum illis conferre voluerit. In eo enim Romani sermonis nitor & elegantia cum numerorum mira suavitate & gratia adeo conspirant; ita semper castus et purus, placidus semper & equalis incedit; ut ad coelestes amores referendos totus compositus, atque ipsa Solomonis Musa quodammodo afflatus videatur. Illa autem ejus praecipua laus est, quod, cum alii non pauci, nuda interpretatione haud contenti, sacrum Hymnum misere interpolarent, et pro vero ejus sensu mortalibus nondum satis comperto ingenii sui commenta venditarint, indeque in diversas, saepe & pugnantes sententias abierint; ille integros semper & incorruptos adeat fontes, Regiique auctoris vestigiis unice insistat; & ita tamen (quod mirere) ut nihil usquam de carminis venustate decedat, neque orationis nexus & tenor abruptis sententiarum periodis interturbetur.

Omni-



---

---

# Auctoris Dedicatio

A D

*Serenissimum & potentissimum Carolum Scotiae, Angliae, Galliae & Hiberniae Regem.*

**C**AROLE, flos Regum, quo nil augustius uno,  
Sanctius immensus quo nihil orbis habet;  
Quod fero Pieriis e collibus, accipe Regis,  
Accipe divini nobile vatis opus.

Sacra Trias numeros, calamum Rex præbuit ortus  
Davide, materiem numine plenus Hymen.

Hic Deus ipse suos e cælo cantat amores,  
Succinit in terris filia, nupta, nurus.

Tolle quod hic nostrum est, interpretis erue sentes,  
Cætera sunt violæ, lilia, myrrha, rosæ.

*Arth. Jonstonus.*

---



---

# Cantici Solomonis

## PARAPHRASIS.

---

### Cap. I.

#### *Sponsa.*

**F**ER mihi suaviolum roseis, Dilecte, labellis,  
 Duleior O dulci tu mea vita mero es :  
 Os olet ambrosiam, spirant tua basia myrrham,  
 Halat & ex ipso nomine thuris odor.

Sic tu virginei tibi vincis pectora cœtus :

Me quoque cum reliquis sub tua jura trahe.  
 Pone ruam pernix Regis subitura cubile,  
 Inque tuo carpam gaudia blanda sinu.  
 Non ita delectat sitientem viteus humor,  
 Meque pioſque tui dulcis ut urit amor.

Fusca

Fusca ego sum, fateor, facie tamen esse venusta  
 Non renuent Solyme quas habet alma nurus :  
 Est mihi qui deceat Cedarum tentoria cultus,  
 Est nitor aulæis qui Solomonis inest.  
 Ne me, quod nigra sim, nigro quod Sole perusta,  
 Spernite, vel fratrum quod gravis ira premat ;  
 Quodque aliena mihi male sit vindemia quondam  
 Credita, vel quod sim passa perire meam.  
 Dic, quibus in terris, qua pascas rupe capellas ?  
 Dic, quæ te medio protegat umbra die ?  
 Cur ego te linquam, mea lux, mea sola voluptas ?  
 Cur sequar alterius, te superante, greges ?

### *Sponsus.*

Si latet hoc, reliquis palmam quæ præripis omnem,  
 Hanc tibi quam monstro, Virgo, capeffe viam :  
 Junge greges, gregis & nivei te junge magistris,  
 Carpat ut hic felix pabula læta pecus.  
 Se tua fidereis dum cingit gloria pennis,  
 Quid tibi par vastus, qua patet, orbis habet ?  
 Sic sonipes rutilat Pharaonius undique gazis  
 Tectus Erythræi Sidoniique maris :  
 Æquoris Eoi respondent tempora gemmis,  
 Candida chrysolithi lumine colla nitent.  
 Aurea fingemus tibi, Virgo, monilia, puri  
 Argenti niveis vermiculata notis.

*Sponsa.*

Mensa tuos quoties spirat regalis odores,  
 Cœlestes redolent balsama nostra dapes.  
 Myrrheus es totus, circundans brachia collo  
 Te stringam gremio nocte dieque meo.  
 Sic Engeddini fragrant opobalsama ruris,  
 Inque racemiferis lacryma lecta jugis.

*Sponsus.*

Quam mihi tu pulchra es, castas imitata columbas  
 Dulcia cœrulea lumina luce nitent.

*Sponsa.*

Quam mihi tu pulcher, rerum dulcissime : nobis  
 Insersum vario flore cubile viret ;  
 Celsaque victuris radiant palatia cedris,  
 Pandit & abiernas porticus ampla trabes.

## Cap. I I.

*Sponsus.*

SUM rosa suave rubens, qualem Sharonis in hortis  
 Candida lacteolo pollice virgo metit ;  
 Quæque creant Zephyri molles in vallibus auræ,  
 Flos ego sum vestri lilia cana gregis :  
 Et mea virgineas ducens Dilecta choreas,  
 Lucet ut in duris lilia nata rubis.

*Sponsa.*

Malus ut arboribus, sic & meus ignis ephebis,  
 Terra quot ulla tulit, præripit omne decus.  
 Illius optarem dulci recubare sub umbra ;  
 Hic lego mellifluis æmula poma favis.  
 Hoc duce deveni spirantem nectare cellam,  
 Signifer accensa luce præibat amor.  
 Prome, puer, cyathos, fragrantia suffice poma,  
 Jam mihi non noto liquitur igne jecur.  
 Me fovet amplexu Dilecti dextera molli,  
 Læva mihi fulcit languida colla manus.  
 Turba puellaris, Solymæ florentis alumnæ,  
 Quasque Palestinæ protulit ora nurus,



Parcite felices strepitu depellere somnos ;  
 Fas requie nobis, fas sit amore frui :  
 Hoc ego per cervos quot alunt juga celsa Sionis,  
 Perque leves capreas gaudia vestra rogo.  
 Vox Sponsi dilecta mei mihi verberat aures :  
 En nunc insultat collibus ille sacris :  
 Æmulus hinnuleo, capreaque citatior omni,  
 Pronus in amplexus en ruit ille meos.  
 Et mihi se sistens cancellis undique septus  
 Prospicit, & tenui luce subinde micat.  
 Me meus est ignis vultu solatus amico,  
 Mulsit & alloquio sustinuitque suo.

### *Sponsa sub persona Sponsi.*

Surge, ait, his oculis multo mihi carior, omni  
 Marmore candidior, dulcis amica, veni.  
 Discessere nives tempestatesque sonoræ,  
 Cumque suis nimbis turbida fugit hiems :  
 Floret humus, resonat volucrum concentibus aer,  
 Fundit & hic querulos turtur ubique modos :  
 Induiturque novis jam ficus cærulea baccis,  
 Et fragrans tenero vinea flore viret.  
 Surge animæ pars magna meæ, pulcherrima rerum  
 Huc ades, immensas cur trahis usque moras ?  
 Quæ juga, quæ latebras sectaris more columbæ,  
 Da precor ore tuo, da mihi voce frui :

Dulcius

Dulcius hac nihil est, nihil est formosius illo,  
 Sed neque par quidquam maximus orbis habet.  
 Vitibus invisas cum foetu interfice vulpes,  
 Dum tener est nobis palmes, & uva recens.

*Sponsa in sua persona.*

Me meus ignis habet, jus & mihi cessit in illum :  
 Ille suas inter lilia pascit oves.  
 Donec nocturnas aurora resolverit umbras,  
 Reddideritque diem, tu mea vita redi :  
 Accelera capreis cervisque citatior illis  
 Per juga quos ferri Betheriana vides.

Cap III.

*Sponsa.*

**D**Ecubui, & tacita quæsi noctis in umbra  
 Consortem thalami præsidiumque mei ;  
 Quæsi, & votis iterumque iterumque vocavi,  
 Irrita sed rapidi vota tulere Noti.  
 Tunc ego; Quin, inquam, surgis? quin excutis urbis  
 Compita, vestigans irrequieta virum?  
 Exsurgo, multaque vias indagine lustro ;  
 Heu mea sed nusquam vita reperta mihi est!

Obvia

Obvia me vigilum cinxit custodia, quæro  
 An mea sint isti gaudia visa choro.  
 Nec procul hinc quæsitæ diu mihi vita reperta est,  
 Dimidiumque animæ delictumque meæ :  
 Protinus amplexans dilecto brachia collo  
 Implicui nullo dissoluenda die ;  
 Inque meæ duxi thalamos & tecta parentis,  
 Lux ubi prima mihi cœlitus hausta fuit.  
 Vos ego per capreas cervosque, Sionides, oro,  
 Ne strepitu thalami sollicitate fores.

### *Sponsus.*

Quæ fuit hæc, olim loca per deserta columna  
 Ignea cui noctu prævia rexit iter ?  
 Hanc circum nebulæ spirabant undique myrrham,  
 Missaque Panchæis thura Sabæa jugis.  
 Adspice, Nupta, thorum recubat quo Davide natus,  
 Qui decies senis cingitur usque viris :  
 Hos legit Solyme duris exercita bellis  
 Pectora, fulmineo cinxit & ense latus :  
 Principis his thalamos studium est virtute tueri,  
 Primaque nocturnos pellere cura metus.  
 Adspice odoratis firmata palatia cedris,  
 Quas Davidiadæ misit amica Tyrus.  
 Hic pura radiant argenti luce columnæ  
 Sublimes, auro sub pede fulget humus.

Murice

Murice vela rubent, niveis habitata puellis,  
 Tota tui, Solyme, flagrat amore domus.  
 Adspice pacifico rutilant ut tempora Regi,  
 Conspicuum gemmis ut diadema nitet:  
 Gaudia sancta agitans & conjugalia festa,  
 Hoc illi genitrix cinxit honora comas.

## Cap. I V.

### *Sponsus.*

**Q**uam, mea lux, reliquas vincis candore puellas!  
 Aureolo quantum spirat ab ore decus!  
 Lumina cœlesti pinguntur luce, columbis  
 Æmula, quæ collo verficolor nitent.  
 Vellera cæsaries æquat, quæ lucida gestat  
 In Giliadæis pasta capella jugis.  
 Sunt positi dentes, liquidi seu fontis ab undis  
 Cum tonfi redeunt in nova prata greges.  
 Candor inest niveus, partu fœcunda gemello  
 Haud aliter loto vellere lucet ovis.  
 Dulcia Sidonio saturantur murice labra,  
 Blandaque nativo nectare lingua fluit.  
 Tempora puniceis rutilant circumflua cirrhis,  
 Poma velut granis nobilitata rubris.  
 Ardua Davidicæ sunt colla simillima turri,  
 Hic ubi mille ducum scuta superba micant.

Hinnuleos mammæ geminos imitantur eburnæ,  
 Lilia quos inter florida pascit humus.  
 In juga thure pio myrrhaque fluentia pingui  
 Diffugiam, tenebras dum fugat orta dies.  
 Lux mea, formosis formosior omnibus una es,  
 Nullus & in toto corpore nævus inest.  
 Te mihi da comitem, Libani de vertice mecum  
 Sponsa veni, dulcem pone sequuta virum :  
 De Sheniræo, de culmine montis Amani,  
 Hermonisque cavis despice, Nupta, jugis :  
 Despice de lustris, catulos ubi pardalis atrox,  
 Trux ubi feminium sæva læana tegit.  
 Tu mihi mellito fixisti lumine pectus,  
 Torquibus ussisti, Nupta Sororque, tuis.  
 Nupta Sororque, tuus multo mihi dulcior omni  
 Est amor, ambrosius balsama vincit odor :  
 Stillant labra favos, lac fudat mellea lingua,  
 Purpureus Libani spirat amictus opes.  
 Hortus es obseptus dumis, fons nobilis undæ  
 Signatus domino sepositusque suo.  
 Nardus olens, calamusque tuo nascuntur in horto,  
 Cumque crocis aloe, punica mala, cyprus ;  
 Nec myrrhæ lacrymæ, nec thus nec cinnama defunt,  
 Missaque de facris balsama rara jugis.  
 Fons facer hortorum, vitæ tu lymphæ perennis,  
 Tu Libani dulces, Sponsa, recludis aquas.

*Sponsa.*

Aura fave, gemino mundi de vertice flabris  
 Lenibus adspirans in mea septa veni.  
 Elice jucundos horti felicis odores,  
 Vir, meus ambrosiæ carpat ut inde dapes.

## Cap. V.

*Sponsus.*

**N**upta Sororque, meum deveni latus in hortum,  
 Myrreha cum nardo lacryma lecta mihi est:  
 Mella favique epulas, suffecit pocula nobis  
 Lac nive candidius vitigenusque latex:  
 Gens dilecta mihi mecum jam læta liquores  
 Accipe nectareos, ambrosiasque dapes.

*Sponsa.*

Nox oculis fomnusque natant, pulsantis Amici  
 Verba tamen patula mens vigil aure bibit.  
 O multum dilecta Soror, sine labe columba,  
 Pande tuas, inquit, dulcis Amica, fores.  
 Ecce caput coeli perfusum rore videbis,  
 Nocturnoque graves imbres madere comas.

Tunc

Tunc ego, Qui, dixi, rursus velamina fumam,  
 Quæ posui? lotos qui maculabo pedes?  
 Dumque feræ impatiens dextram meus inserit Ignis,  
 Quam mihi cor saliit, quam micuere sinus?  
 Protinus excutior stratis, ut claustra recludam,  
 Myrrhaque de manibus stillat odora meis;  
 Myrrheus e digitis in postes depluit imber,  
 Totaque cœlesti janua rore madet.  
 Hæc ubi jam patuit, meus heu discesserat Ignis:  
 Heu mihi lethalis vox abeuntis erat.  
 Hunc ego quæfivi nequicquam, sæpe vocatus  
 Est mihi, responsi nil tamen inde tuli.  
 Me vigilum truculenta cohors deprendit, & eheu,  
 Sauciat indignis barbara turba modis.  
 Urbis ab excubiis, dum passim compita lustro,  
 Develata mihi turpiter ora queror.  
 Vos ego, quas Solyme jactat speciosa, puellæ,  
 Cernere si nostri fors datur ora viri,  
 Vos precor adjurans, Dilecto dicite, lento  
 Languidulum nobis igne perire jecur.

### *Virgines.*

Pulchrior O fociis, dic, dum nos talibus urges,  
 Quo tuus hic reliquos nomine vincat Amor.

*Sponsa.*

Hic nive candidior, Tyrio rubicundior ostro,  
Dignus & est decies mille præire procis.  
Par caput est auro, crispantur tempora, corvi  
Oscinis haud alio pluma colore nitet.  
Lumina cæruleas æquant sine labe columbas,  
Quæ prope flumineas lacte lavantur aquas.  
Floridulisque genis fragrans exspirat amomum,  
Lilia mellitis myrrhaque pura labris.  
Chrysolithis auroque nitet manus utraque, ventrem  
Sapphiro rutilans lumine velat ebur.  
Candida marmoreas imitantur crura columnas,  
Quas auro fultas nobiliore vides.  
Illius adspectus, croceos dum fundit odores,  
Æmulus est Libano cedriferisque jugis.  
Stillat ab ore favos, dulces e corpore toto  
Blanditias spirat, deliciasque meras.  
Nobilis O Solymæ proles generosa puellæ,  
Hic tacita torret pectora nostra face.



## Cap. VI.

*Virgines.*

**I**Nter formosas O formosissima, monstra  
 Quo tuus hic a te fugerit ales Amor :  
 Utque tuum tecum jam vestigemus amantem,  
 Dic age quem fugiens carpsit ille viam.

*Sponsa.*

Venit in areolas horti meus Ignis odoras,  
 Inter ut has pascens lilia verna legat.  
 Hic mihi se vovit, conjux ego debeor illi,  
 Lilia cui surgunt inter amœna dapes.

*Sponsus.*

Tu Tirzæ, Solymes tu formæ dotibus æquas  
 Tecta, nec est acies structa timenda magis.  
 Lumina flecte retro, mea lux, ego vincor ab illis,  
 Vincor, & obtutu maceror usque tuo.  
 Vellera cæsaries superat, quæ lucida gestat  
 In Giliadæis pasta capella jugis.  
 Sunt positi dentes liquidi ceu fontis ab undis  
 Cum tonsi redeunt in nova prata greges.

Candor

Candor inest niveus, partu fœcunda gemello  
 Haud aliter loto vellere lucet ovis.  
 Tempora puniceis rutilant circumflua cirrhis,  
 Poma velut granis nobilitata rubris.  
 Huic ter viginti reginas, Regis amicas  
 Huic decies octo nobilis aula fovet.  
 Turba puellaris numero non clauditur, una  
 Sed mea, si confers, labe Columba vacat.  
 Sola nitet multis e millibus unica proles,  
 Spesque genitricis delictumque suæ.  
 Hanc ubi viderunt, nimium dixere beatam  
 Virgineusque chorus, lacticomæque nurus.  
 Laudavere thori sociæ regalis amicæ,  
 Et quotquot Regi conseruere latus.  
 Quæ tibi censenda est, radios quam cernis Eoos,  
 Et Lunæ & Solis dulce referre jubar?  
 Cui datur hostiles acies terrere virorum,  
 Ut cum sub signis stat clypeata seges.

### *Sponsa.*

Qui mihi florebat pomis felicibus hortum  
 Invisi, & valles fertilitate pares:  
 Anxia disquiro num forsan vinea gemmis,  
 Num vireat malus punica flore novo.  
 Huc ego rapta fui sine sensu, passibus æquans  
 Nobilium rapidas alipedesque rotas.

*Hierosolymitana.*

Sacra redi, Solymæa redi, vestigia Virgo  
Flecte retro, reducis da celer ore frui.

*Sponsa.*

Dic, quid in hac spectes? In te, Solymæa, cohortes,  
Et numerum geminæ vimque phalangis habes.

## Cap. VII.

*Hierosolymitana.*

Quam tibi formosæ sunt proles regia plantæ!  
Quam mollis niveos velat aluta pedes!  
Dædala compages femorum, flexuraque crurum  
Artificis simulat nobilioris opus.  
Ventris apex medius cyatho par nectare pleno est,  
Quem torno poluit dextra perita levi.  
Ipse refert venter tritici florentis acervum,  
Candida quem circum lilia fundit humus.  
Hinnuleos mammæ geminos imitantur eburnæ,  
Turris & in morem lactea colla nitent.  
Sic oculi radiant, populosæ proxima portæ  
Ut solet Hesbonæ piscibus unda frequens.

Nafus

Nasus odoriferæ Libani par obtigit arcu,  
 Alta Damascenam quæ prope cernit humum.  
 Vertice fers coccum, fulgent tibi murice vittæ;  
 Rexque tuo semper figitur ipse lari.  
 Quam formosa mihi, quam tu mellita videris!  
 Deliciis animum quam tuus implet amor!  
 Corporis electi tibi forma simillima palmæ est,  
 Multaque candidulos purpurat uva sinus.  
 Cara mihi, dixi, scandetur palma lacertis,  
 Illius amplectar brachia panda meis.  
 Pectora purpurei pingent dilecta racemi,  
 Spirabunt nares roscida mala tuæ.  
 Nectare lingua madet, cor hoc perfundit amantis;  
 Dat liquor hic voces fundere more senis.

### *Sponsa.*

Me meus Ignis habet, mens se mea mancipat illi,  
 Illius & nostri pectus amore calet.  
 Nunc ades, O Dilecte mihi, jam rura petamus,  
 In villis mecum, lux mea, fige larem.  
 Surge sub auroram; num trudat germina vitis,  
 Punica vel malus, me comitante, vide.  
 Hic ego lassæ tuo substernam brachia collo,  
 Inter & amplexus oscula pacta dabo.  
 En tibi mandragoris thalami sparguntur odoris,  
 Et cingunt nitidas florea ferta fores.

Sunt antiqua mihi, nova sunt bellaria, dulces,  
Quas tibi seposui, sunt mihi mille dapes.

## Cap. VIII.

### *Sponsa.*

**O** utinam fratrem favor indulfisset Olympi  
Te mihi, lactasset mater & una duos.  
Tum foris invento tibi quæ decet oscula ferrem  
Blanda, nec opprobrium gentis, ut ante, forem.  
Me duce tecta meæ subiens genitricis odoros  
Intrabis thalamos, & documenta dabis.  
Hic tibi vitigenus conditus odoribus humor,  
Malaque quem fundunt punica potus erit.  
Me meus accipiet gremio vir, colla sinistra  
Fulciet, amplexus dextera mille dabit.  
Vos ego dilectæ Solymes adjuro puellæ,  
Ne qua thori focium fuscitet ante diem.  
Quæ rogo, qualis erat, quæ per deserta locorum  
Nixa tuis humeris est tibi facta comes?  
Pomus erat memini, sub qua tu tactus amore es,  
Sub qua te gravis est pondere facta parens.  
Inferre me dextræ, quam diligis, imprime cordi;  
Foederis hoc nostri gestet & illa notas.  
Omnia vincit amor, lethoque simillimus ipse est,  
Nec tumulus crudæ plus feritatis habet.

Illius undantes æquant incendia flammæ,  
 Ipsaque cœlesti fulmina torta manu.  
 Ignibus his lymphæ frustra quærentur; amoris,  
 Crede mihi, nullis flamma domatur aquis.  
 Ridet amor gazas, ipsum quoque despicit aurum,  
 Et quascunque manus parca coegit opes.  
 Parva soror nobis nondum matura marito est,  
 Et nondum teretes intumuerunt finus:  
 Si quis erit juvenum qui poscat jungere tædas,  
 Dic quibus hanc studiis, quave juvemus ope.

### *Sponsus.*

Si mihi firma manet muri soror instar aheni,  
 Estque velut toto janua poste patens;  
 Urbs manibus fabricata meis argentea surget,  
 Surget odorata janua firma cedro.

### *Soror Sponsæ.*

Par ego sum muro, geminæ sunt æmula turri  
 Ubera, quæ memini perplacuisse tibi.

### *Sponsus.*

Ruris in aprici Solomonis vinea campo  
 Floret, & innumero palmitibus vestit humum.

Illius

Illius est famulis custodia credita, nummos  
Mille solet domino pendere quisque suo.  
Me mea custodem nacta est, mihi servit & uni  
Vinea, meque sua fertilitate beat.  
Mille tibi, Solomon, tua solvit vinea nummos;  
Bis centum famuli sed tamen inde metunt.  
Hortorum quæ septa colis, tua verba sodales  
Auscultant, aures tu quoque tunde meas.

### *Sponsa.*

Par capreis cervisque fugam, Dilecte, capeffe,  
Montis odoriferi culmina summa pete.

**F I N I S.**

# NOTÆ.

**C**AP. I. lin. 9. *Viteus humor*] Pro vino, Virg. 3. Geor. 76.  
————— *Et pocula lati*

*Fermento atque acidis imitantur vitea forbis.*

L. 15. *Nigro Sole*] Ab effectu; audax epitheton, & haud scio an possit defendi illo Horatii. 1. lib. Sat. 9. 15.

————— *Hunc sine Solem*

*Tam nigrum surrexe mihi.* ———

17. *Vindemia*] Pro vinea; quomodo Martialis pro vino lib. 6. Ep. 26. & Virg. Georg. 2. 89. & 522, pro uvis, vel racemis.

20. *Protegat*] Ab æstu tegat. Virg. 2. Geor. 489.

————— *O qui me gelidis in vallibus Hami*

*Sistat, & ingenti ramorum protegat umbra.*

21. *Voluptas*] Virg. Æn. 8. 581. *Mea sera & sola voluptas.*

22. *Superante*] i. e. superstitie. Virg. Æn. 3. 339.

*Quid puer Ascanius? superatne?*

29. *Sonipes*] Equus celer, a fonitu pedum sic dictus. Virg. Æn. 4.

————— *Ostroque insignis & auro stat sonipes.* ———

Ibid. *Gazis*] Purpura Tyria & margaritis quas mittit mare Rubrum ornatus. Plin. lib. 9. c. 35. *Præcipue laudantur margarite circa Arabiam in Persico sinu maris Rubri.* V. Ælian. Hist. Animal. cap. 13. Hunc locum optime explicat Tibull. lib. 3. El. 3. 17.

*Quidve in Erythreo legitur quæ littore concha,*

*Tinctaque Sidonio murice lana juvat?*

30. *Æquoris Eoi*] i. e. lapillis pretiosis, quorum India Oceanusque Orientalis erat feracissimus. Acriter disputat Salmastius Plin. Exercit. p. 783. an & quomodo gemmæ a margaritis distinguantur: tandemque hoc statuit proprium esse gemmis, quod



pellucidæ sint, (& p. 396) raræ, atque parvæ; margaritis vero, quod ex conchis eruantur. Hanc autem differentiam auctores, præsertim Poetas, non semper observasse ipse agnoscit: imò Poetas Latinos, cum *gemmas Erythreas* aut *lapillos Erythreos* dicunt, *margaritas* semper intellexisse ostendit. Et quidem Jonstonum hic *gemmas & margaritas* nullo discrimine habuisse hinc conjicere licet, quod *gemma* perpaucae, *margarita* vero omnes in aquis reperiuntur. V. Plin. lib. 37. passim.

32. *Chrysolithi*] Optime Sponsæ collum *chrysolithis* adsimulatur, Plinio enim teste. l. 37. *Chrysolithi aureo fulgore translucent*: unde & illis nomen est. Et paullo post; *Optima sunt, que in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogunt.*

34 *Vermiculata*] i. e. tessellata. *Vermiculata* dicuntur opera, quæ minutis tessellis insititiis quasi *vermiculis* sunt variegata. Tritum est illud Cicer. 3. de Orat. 43. ex Lucilio,

*Quam lepide lexeis compositæ, ut tessera omnes,  
Arte pavimento, atque emblemate vermiculato.*

36. *Myrrheus*] myrrham olens, sive myrrha conditus. Quomodo dixit Tibullus lib. 3. El. 4. 28. *myrrheam comam*, & Horat. 3. Od. 14. *myrrheum crinem*: qui soli auctores (nisi fallor) hac voce utuntur; quos tamen magnus Scaliger nobis ereptum ivit, qui in altero *myrteam* ex MS. suo, in altero ex vet. Scholiaste *myrteum* legit, sed Diis & tota fere Commentatorum turba invitis. Hallucinari illos fateor, qui in Propert. lib. 3, El. 10. 22. *myrrheus onyx*, & lib. 4. El. 5. 26. *myrrhea pocula* legunt; *murreus* enim legendum, & *murrea* seu *murrhina*: utrobique enim pocula ex *murrha* facta intelligit; quam quidam lapidem, Salmasius idem cum *porcellana* nostra fuisse existimat. Plin. Exerc. p. 396, & 144. &c.

37. *Opobalsama*] Succus balsami. ab ὀπὸς, i. e. *succus*. Plin. lib. 12. cap. 25. *Succus e plaga manat, quem opobalsamum vocant, eximia suavitatis.* Stat. 3. Silv. 2. 29.

*Candida felices sudant opobalsama virge.*

43. *Vituris*] Quod ea sit natura cedri, ut quæ ejus succo illita sunt, cariem non sentiant. Perf. Sat. 1. 42. *Cedro digna locutus*, i. e. immortalitatem promerentia: unde antiqui libros suos eo liquore quem cedrus exsudat, quemque cedreum vocabant, ungebant; ne tineis vel ipsa vetustate corrosi absumptique interirent, sive propter aternitatem, ut loquitur Vitruvius. lib. 2 c. 9. V. Plin. lib. 13. 13. Ovid. Trist. lib. 1. El. 1. 7. Horat. Art. 332.

44. *Abiegnas*] trabes ex abiete: dictio quadrissyllaba, sed sæpius apud Poetas trissyllaba, ut hic. Sic Propertius, lib. 3. El. 19. 12.

*Induit abiegnæ cornua falsa bovis.*

CAP. II. 1. 1. *Suave rubens*] i. e. *suaviter*, Græcismus: Virg. *suave rubens hyacinthus.*

2. *Pollice metit.*] Virgilium imitatus videtur. Æn. 11. 68.

*Qualem virgineo demessum pollice florem,  
Seu mollis viola, seu languentis hyacinthi &c.*

3. *Creant Zephyri*] Zephyrus, ventus flans ab occasu æquinoctiali, dictus quasi ζονφορς, vitam afferens, Latinis *Favonius*. Hic est genitilis spiritus mundi, a fovendo dictus, inquit Plin. lib. 16. c. 25. alij a favendo dictum volunt. Lucret.

*Et reserata viget genitabilis aura Favoni.*

7. *Ignis*] Pro dilecto. Ita Virg. Ecl. 4.

*At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.*

*Ibid. Ephebis*] Qui ad pubertatis annos pervenerunt ab, ἐπι et ἡβη.

8. *Quot*] Pro quotquot: Catullo haud infolitum, ut in Car. 49.

*Disertissime Romuli nepotum,  
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,  
Quotque post alijs erunt in annis. Et 42.*

*Adeste hendecasyllabi quot estis  
Omnes undique, quotquot estis omnes.*

Propert. lib. 2. El. 28. 53.

*Et quot Troja tulit, vetus et quot Achaia formas.*

9. *Æmula*] i. e. *similia*: vox hoc sensu Jonstano usitatissima. *Æmulus* proprie est qui alterius rem ita sequitur et imitatur, ut parem ex ea, vel majorem etiam laudem adipiscatur. Sed cum, ut Cicero ait, *ijs emulemur, qui ea habent, quæ nos habere cupimus*, huic studio sæpissime comes invidia est, unde et in bonam et malam partem accipitur. Et quoniam qui alijs *emulantur*, pares ijs saltem evadere cupiunt, ideo res rei *æmula* esse dicitur, cum ei *similis* est, aut comparanda videtur. Atque hæc vocis significatio Plinio ac Martiali, alijsque ejus et insequentium seculorum Scriptoribus est frequentissima, licet ævo Augustæo rarissime in usu reperiatur.

33. *Discessere nives*] al. *Decessere*: Horat *Diffugere nives*. *Tempestates somnæ* Virgilianum est.

37. *Ficus carula baccis*] Procul dubio auctoris animo obversabatur illud Ovid. Met. 10. 98. Et

*Et bicolor myrtus, et baccis cærulea ficus.*

Ita enim vulgo legitur. At doctissimus Nic. Heinsius (et post eum alij) *tinus* i. e. laurus silvestris, legunt, quam cæruleam habere baccam testantur Plin l. 15. c. ult. & Jun. Philargyrius ad Virg. Geor. 4. Nobilissimo Heinsio litem non moveo; lectionem ejus comprobant rationes quas ibi & ad l. 3. ver. 692. Artis Amat. adducit. At Jonstono satis est ficus aliquas cærulei coloris esse: id quod Aldrovandus Dendrol. lib. 4. p. 458. abunde testatur, qui *inter omnes, ut plurimum, colorem pullum atque cæruleum eis accidere, disertim asserit.*

49. *Resolverit*] Dissipaverit. Virg. Æn. 8. 589.

*Qualis udi Oceani perfusus Lucifer unda.----*

*Extulit os sacrum cælo, tenebrasque resolvit.*

Quod aliter expressit Æn. 4. 7.

*Humentemque Aurora polo dimoverat umbram.*

50. *Reddideritque*] Restituerit: a Martiali mutuatus videtur Epig. lib. 8. 21. *Phosphore redde diem.----*

CAP. III. l. 4. *Irrita*] Ex Ovidij Remed. Am. desumptum,

*Irrita cum velis verba tulere noti.*

7. *Indagine Austro*] Per omnes urbis plateas, vicosque perquiro. *Indago* venatorum proprie vocabulum est; Lactantio Statij Scholiastæ ad lib. 2. Theb. v. 553. est *cum silvam venantium corona vallat, ut fera evadere non possint*; Servio ad Virg. Æn. 4. 121. est *ipsa ferarum inquisitio*; Budæo vero Comment. ling. Græc. p. 299. est *ipsa series plagarum, quibus saltus stabulaque ferarum cinguntur a venatoribus, ut Lucanus post Virg. in 6to de munitionibus Cesaris loquens,*

-----Saltus, nemorosaque tesqua,

Et silvas, vastaque feras indagine cingunt.

*Græci περιτοχίσμον vocant.* V. præcipue Xenophontem, lib. de Venat. qui modum *indaginis*, h. e. retium in varos et perticas erigendorum fusc ostendit.

12. *Deliciumque*] Hanc vocem apud unicum Martialem, et ter reperio, alij (quod sciam) omnes numero plurali *delicias* efferunt, excepto Plauto, qui *delicia* habet in singulari.

14. *Dissoluenda*] Ita Tibullus. lib. 1. El. 8. 2.

*Stamina non ulli dissoluenda Deo.*

Poetis enim solitum est in verbo *solvo* ejusque compositis V. consonam in vocalem mutare.

21. *Nebula*] Middleburg. Edit. habet *nebulam*, nullo sensu; reposuimus *nebula*.

22. *Panchæis*] *Panchaia* Arabiæ felicis seu Sabæorum regio, ob copiam thuris celebratissima. De hoc thure intelligendi sunt Lucretius, Claudianus et Tibullus, sub nomine odorum, ramorum, mercium:

Ait primus lib. 2. 417.

*Araque Panchæos exhalat propter odores.*

Alter de 3. Conf. Honor. ult.

*Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres.*

Tertius lib. 3. 2. 23.

*Illic quas mittit dives Panchaia merces.*

26. *Fulmineo*] Virg. Æn. 4. 579. *Vaginaque eripit ensem Fulmineum.* --- Et lib. 9. 441. --- *Ac rotat ensem Fulmineum.* --- Quidam explicant coruscantem, alij rapidum, præcipitem: alij ad ustionem referunt, illo Ovidij adducti de apro Calydonio. Met. 8. 289.

*Fulmen ab ore venit; frondes afflatibus ardent.*

Alij denique (quibus potissimum accedo) *fulmineum ensem* dici volunt, quod obvios quosque fulminis instar sternat ac proterat: atque hoc sensu præcipue intelligendi videntur, de dentibus aporum fulmineis, Ovid. lib. 1. Met. 305. *Nec vires fulminis apro profunt.* et 10. 550. *Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.* Phæd. lib. 1. fab. 21. *Aper fulmineis ad eum venit dentibus.* Et Martial 11. Ep. 70. *Fulmineo spumantis apri sum dente petita.* Quod etiam de pardis dixit Claudian. de Conf. Mall. 303. *Obvia fulminei properent ad vulnera pardi.* Eo certe sensu Virg. Æn. 6. 842. *Duo fulmina belli Scipiadas vocat, et ante eum Lucret. 3. 1048. Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror.*

30. *Davidiada*] Solomoni Davidis filio: ita *Laertiades, Telamoniades, Peantiades,* et alia ejusmodi patronymica passim reperias.

33. *Murice*] *Murex* est piscis sive concha marina, a *purpura* nonnihil diversa, licet sæpe confundantur, ex qua liquor profluit, *ostrum* vocatus, quo lanæ purpureo colore tingebantur. Vestes ejusmodi apud antiquos summo pretio habitæ, atque Regibus principibusque viris tantum concessæ erant. Præcipue celebratur *purpura Tyria* sive *Sidonia*: modum vero eam conficiendi, sive *ostro* tingendi, inter res deperditas numerat Pancirollus.

34. *Flagrat*] Middleb. Edit. habet *fragrat.*

37. *Agitans*] Ita Salust. in Catilin. *Interea plebes veluti servitute erepta gaudium et letitiam agitabat.* Virg. 2. Geor. 527. *Ipsæ dies agit festos.* *Conjugalia festa*] Dicimus *conjugalis* et *conjugialis*

*alis*. Inde *Dij conjugales* apud Senec. in Med. et *conjugalis proles* apud Prudentium in Psychom. Ovid. autem Met. 5. 3. *conjugalia festa*, et lib. 6. 536. *conjugalia jura*, et 11. 744. *conjugiale fœdus*. In quibus tamen locis multi veteres codices *conjugalia* habent, et *conjugale*; at contra metri legem, ut monuit Heinsius. Ob eandem rationem legendum *conjugalia funera* in Stat. Th. 12. 158. licet in omnibus fere impressis, et (mirante Gronovio) in antiquioribus membranis *conjugalia* reperiat.

Ult. *Honora*] Idem quod *honorifica*. Ita Stat. Theb. 5. 40. *Majorque et honora videri*; Silius 2. 301. *Ductor honori nominis*. Potest etiam *honore* legi.

CAP. IV. 1. 9. *Gemello*] Ovid. Ep. 6.

*Obviaque exissem fœtu comitata gemello.*

11. *Saturantur murice*] Rosæo seu purpureo colore tinguntur. V. Virg. Æn. 2. 593. Horat. Od. 3. 3. 12. *Saturantur*] Exemplo prævit Ovid. Ep. 13. 37.

*Scilicet ipsa geram saturatas murice vestes.*

Et Martial. 8. Ep. 48.

*Non quicumque capit saturatas murice vestes.*

V. & Claudian. in Ruff. 1. 208. Per vestes *murice saturatas* dibapham sive purpuram bis tinctam intelligebant, quæ erat pretiosissima.

13. *Puniceis*] *Puniceus* color est qui summum splendorem ruboris habet, qualis purpuræ Tyriæ; A. Gellius exuberantiam coloris appellat, apud quem videas Frontonem et Favorinum de eare, deque vocabulorum in Latina lingua varias colorum species significantium inopia ingeniose disputantes, lib. 2. cap. 26. Optime autem noster voce *puniceis* utitur, dum hic Sponsæ comæ *malis punicis* comparantur, quæ poetica circuitione *poma* vocat *rubris granis nobilitata*. Sed ne quid dissimulem, in ipso Cantico non tam comæ ipsæ quam Sponsæ tempora sive genæ *punicis malis* comparari videntur. Ne quis autem deruso seu rubro crine (qui probro plerumque habitus fuit) eum dixisse intelligat, satis cavetur, non tantum voce *puniceis*, sed etiam addito verbo *rutilant*, quibus colorem pulcherrime splendescentem significavit. Quin et ipse mali punici cortex (a cujus rubeo colore, Aldrovando teste, *punicum* est appellatum) a Columella *rutilus* describitur, lib. 10.

*Mox ubi sanguineis se floribus induit arbor*

*Punica, que rutilo mitescit tegmine grani.*

Illud denique animadvertendum est, hisce nominibus, *purpureus*,  
puni-

*puniceus, roseus, aureus, &c.* non tam certum colorem, quam generatim pulchritudinem a Poetis significari, ut dudum observarunt Scaliger, Torrentius, Taubmannus et alij. Et ita intelligenda hæc loca, Virg. Æn. 1. 594. *Lumenque juvena purpureum.* et Geor. 1. 405. *Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.* et Ceiris ver. 3. *Purpureos inter Soles.* Horat. lib. 4. Od. 1. *Purpureis ales olorbis.* Pedo Albin. El. 2. 62. *Brachia purpurea candidiora nive.* Ibid. ver. 124. *Et modo puniceo rore levare stivm.*

Ibid. *Circumflua*] Sæpius significatione activa fumitur, ut *mare circumfluum, annis circumfluus, &c.* Non tamen desunt exempla, ubi passive (ut hoc in loco) accipiatur, veluti, Ovid. Met. 15. 624. *circumflua insula.* Valer. Flacc. lib. 5. 442. *Urbs erat hic contra gemino circumflua ponto.* Claudian. de 4. Conf. Hon. 138. *Acclinis genitrix auro, circumflua geminis.*

Ibid. *Cirris*] *Cirri* apud Romanos, ut monstrat Salmasius, *De Cas. et coma.* p. 339. &c. proprie sunt puerorum capilli post primam tonsuram, quæ fiebat post septimum fere annum: hos *cirros* intonsos servabant usque ad ephebiam, et tum quoque eos deponebant, atque exinde subnascens capillus, si promitteretur, *cæsaries* vocabatur: sunt igitur *cirri* in pueris idem quod in viris *cæsaries*. Quidam *cirros* interpretantur *crines* calamistro *intortos*, quos Martialis *annulos*, Claudianus *orbes*, alij *cincinnos* appellant: at contrarium ostendit Salmas. *ibid.* Cui *cirri* crines sunt soluti et pendent, quo significatu Germanorum capilli peculiari quasi nomine *cirri* nominati sunt Juvenali, Tertulliano, Isidoro et alijs. Ipse tamen Salmas. Plin. Exer. p. 536. non usquequaque sibi constans, *cirros* pro *cincinnis* et implexis capillis positos, et extremitatem crinium quæ naturaliter implexa in se reflectitur ita veteribus nominatam afferit. Atque hoc vocis sensu (quem et *primarium* existimare licet) Jonstonsus accipiendus videtur: quanquam *promiscuum* vocabulorum ejusmodi usum Poetæ sibi fere semper indulgeant.

19. *Thure pio*] Quod ejus frequentissimus usus in sacris. Juvenal. 13. 116.

*In carbone tuo charta pia thura soluta:*

*Ponimus* ----- Mart. 8. 8.

*Te primum pia thura rogent, pia vota salutent.*

20. *Dum fugat*] Ad illud Horatij respexit. lib. 3. Od. 21.

*Dum rediens fugat astra Phoebus.*

22. *Nullus et in toto*] Hic versus Ovidij est paullum mutatus.

Trist. 5. 13. 14.

*Nullus in egregio corpore navus erit.*

25. *Amani*] De *Amano* Ciliciæ monte Solomonem intelligendum esse multi volunt: quorum opinioni (ut notat Bochartus Geog. Sacr. lib. 1. cap. 5.) haud parum favet, quod ille mons feris maxime abundet, ut ex Æliano lib. 5. De Animal. c. 56. et Opiano, lib. 3. Cyneg. notum est. Et Valer. Flaccus, Argon. lib. 1. ver. 489. tigridum venationes circa montem *Amanum* eleganter, ut solet, ita describit,

----- *Haud aliter saltus vastataque pernix  
Venator cum lustra fugit; dominoque timentem  
Urget equum, teneras complexus pectore tigris,  
Quas asturapuit pavido, dum sæva relictis  
Mater in adverso catulis venatur Amano.*

Proinde dum Ciliciam provinciam administrabat Cicero, a *Cælio* Rhetore (non *Cæcilio*, ut Plutarchus habet in Ciceronis vita) rogatus est, ut ex Cilicia Romam ad ludos *pantheras* mitteret: cui respondet Cicero lib. 2. Ep. 11. *De pantheris, per eos qui venari solent, agitur mandato meo diligenter.* Et mox subjicit jocum: *Sed mira (iniquit) earum paucitas, et eas que sunt valde aiunt queri, quod nihil cuiquam insidiarum in mea provincia, nisi sibi fiat. Itaque constituisse dicuntur in Cariam ex nostra provincia decedere.* Videsis etiam Epist. 10, in qua montis *Amani* sæpius meminit. His rationibus adductus videtur Jonstonus, et ante eum Castellio, ad *Amanum* Ciliciæ montem respexisse, aliæ enim omnes, quas mihi videre contigit hymni hujus versiones *Amana* non *Amanus* legunt. Duo autem præcipue obstant, quo minus hæc *Amana* idem sit cum Ciliciæ *Amano* 1. Quod in Judæa et vicinis locis sit scena sacri dramatis. 2. Quia *Libanus*, *Amana*, *Senir*, et *Hermon*, ut synonyma usurpantur; et ut *Hermon*, et *Senir*, ita etiam *Amana* pars *Libani* montis. V. Deuter. 3, 7. et 4, 48.

26. *Cavis jugis*] i. e. *curvis* seu *convexis*. Poetæ enim vocibus *cavo* sive *concavo*, et *convexo*, promiscue nonnunquam utuntur. Virg. Æn. 8. 598. *Undique colles Inclusere cavi.* Ovid. Trist. 1. 11. 20. *Inque modum tumuli concava surgit aqua.* i. e. *convexa*. Rurfus. Virg. Æn. 1. 314. *Classem in convexo nemorum sub rupe cavata Occulit.* i. e. *concavo*.

27. *Pardalis*] *Pardi* femina vulgo statuitur, idem quod *panthera*, ut Bochartus demonstrat contra Leonem Allatium et alios, lib. 3. Animal. cap. 8. p. 800. Vox Græca est, nec ulli quod sciam Latino auctori, præterquam Quinto Curtio usurpata. Imo vox ipsa *pardus*

*pus*, ut notat Vossius, et ante eum Gesnerus, Lucano et Plinio antiquior non est, pro quo Lucilius, Varro, alijq; antecedentium seculorum Scriptores *pantheram* semper dixere. An autem πανθηρ Græcis idipsum sit, quod Romanis *panthera*, non immerito dubitatur: Gesnerus, Bodinus, Ritterhusius, Allatius, alijque viri docti animalia statuunt penitus diversa. At clarissimus Bochartus (cui concinit Vossius) non aliter ea differre, quam vel sexu, vel mole, vel macularum varietate invictis rationibus ostendit. Ex his etiam sequitur tam Romanorum *pantheram*, quam Græcorum *pardalin*, tam marem quam feminam significasse, atque esse ejus generis vocabula quæ Grammatici *epicæna* appellant. Septuaginta certe Interpretes παρδαλις ubique usi sunt ijs in locis quibus *pardus* aut *leopardus* in Latinis Bibliorum versionibus occurrunt. *Leopardus* autem vox composita proprie significat animal ex *pardo* et *leæna* natum: ea ferius, et non nisi quarto seculo usurpari solita; quo etiam et sequentibus seculis pro *pardo* accipitur, ut ex Fl. Vopisco, Symmacho, et Lampridio, &c. constat: id quod nostra multisque alijs Europæ linguis deinceps obtinuit.

28. *Trux ubi seminium*] Truces leonum catulos intelligit: *seminium* enim idem est quod *semen*, sive illud quod ex femine ortum est. Quo sensu Varro, de re Rust. *E quo seminio ego procreavi pullos*, et, quem præcipue respexisse Jonstonus videtur, Lucret. lib. 3. 741.

*Denique cur acris violentia triste leonum  
Seminium sequitur, dolu' vulpibus et fuga cervis  
A patribus datur. -----*

36. *Sepositus*] Middleb. *suppositus*.

37. *Calamus*] Arbor odorata in Arabia nascens, de qua consule Plinium lib. 12. cap. 22.

38. *Cyprus*] Arbor etiam est, sive frutex odorifera, in qua describenda miram Plinium inter & Dioscoridem animadvertit diffensionem Harduinus, quem videas ad Plin. lib. 12. cap. 24. V. etiam Bochart. Phaleg. lib. 1. cap. 4.

39. *Cinnama*] *Cinnamomum* & *cinnamum* idem esse ex Plin. lib. 12. cap. 19. liquet: apud quem ejusdem descriptionem reperias. Hodie nullam esse ejus notitiam ait Pancirollus, lib. rer. memorab. tit. 9. p. 28. Vulgo idem existimatur quod *cannella*; sed res esse prorsus diversas monstrarunt Salmasius Plin. Exerc. p. 283. & alibi, & Harduinus ad prædict. Plinij locum. Poetæ fere semper *cinnama* pluraliter efferunt. Ita Ovid. Met. 15.



*Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha.*

Et Claudian. de nupt. Hon. 95.

*Hic casia matura seges, Panthæaque turgent  
Cinnama.* -----

43. *Vertice*] Ab utroque polo. Plin. lib. 2. cap. 15. *Terra a verticibus duobus, quos appellavere polos, centrum cœli est.* Cic. de Nat. Deor. 2. 42. ex Poeta quodam,

*Extremusque adeo duplici de cardine vertex.*

*Dicitur esse polus.* -----

Confer Virg. Geor. 1. 242. Manil. 1. 601. & 3. 401.

CAP. V. 2. *Myrrhea*] An *Myrrha*? ut in Middleb.

4. *Vitigenusque latex*] Pro *Vino*. Ex Lucretio depromptum lib. 5. 15.

*Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris*

*Vitigeni laticem mortalibus instituisse.*

Et lib. 6. 1070.

*Vitigeni latices in aquai fontibus audent*

*Misceri.* -----

Plinius & Columella utuntur voce *vitigineus*, sed illam non ad vinum, sed arborem ipsam referunt: prior habet *ligna*, posterior *folia vitiginea*.

7. *Nox oculis somnusque*] *Nox* hic *somnusque* idem significare videntur: *nocte* autem pro *somno* usus est Virg. Æn. 4. 530.

--- *Oculisque aut pectore noctem Accipit.* ---

Et Stat. Theb. 10. 213. *noctem exturbabat.*

*Natant*] Cur *somnus oculis natare*, aut *oculi natantes* a Poetis dicantur, non adeo inter Commentatores convenit. Scaliger, & post eum Ruæus, ad Virg. Geor. 4. 496. & Æn. 5. 856. *nantantia lumina* explicant *errantia* seu *fluitantia*, quæ nunc aperiuntur, nunc clauduntur: quorum opinioni nonnihil favet Silius, lib. 10. *Exhalat lucem & dubitantia lumina condit.* Alij ad tenebras referunt, umbras five imagines, quæ ante oculos dormituriensium aut morientium volitare seu natare videntur: quo sensu Ovid. Met. 12. *Ante oculosque natant tenebra.* Alijs denique, & quorum mihi potissimum arridet sententia, *oculi natantes* sunt qui *natant*, seu inundantur humore quodam, qui somnum solet antecedere, & quo etiam morientium oculi madefiunt. Hanc explicationem haud parum confirmat Virg. Æn. 1.

*At Venus Ascanio placidam per membra quietem*

*Irrigat.* --- Et Sil. lib. 10.

*Oculisque quietem Irrorat.* —

Et Lucr. 3. de ebrijs loquens,

— *Tardescit lingua madet mens, Nant oculi,* —

Et Ovid: 6. Fast.

*Nox erat, & vinis oculique animique natabant.*

Confer Ovid. 5. Met. 71. Ped. Alb. El. 1. 93.

8. *Aure bibit*] i. e. a vide audit. Flaccum secutus est lib. 2. Od. 13.

*Pugnas & exactos tyrannos*

*Densum humeris bibit aure vulgus.*

Quem imitatus Juvenal. Sat. 4. 50.

*Nequic quam populo bibulas donaveris aures.*

16. *Cor salit --- micuere sinus*] Celerem cordis motum seu trepidationem utraque hæc phrasis significat, sive ex gaudio, metu, dolore aut alio quovis affectu oriatur. V. Plaut. Cas. 2. 6. 62. & Mil. 4. 2. 96. & Ovid. Epist. 1. 45. & 5. 37. & Perf. 3. 111.

38. *Corvi oscinis*] *Oscines* aves Romanis dictæ, quæ ore vel cantu auspiciam faciunt, ut *præpetes* quæ pennis. V. Varr. de L. L. Plin. 1. 10. c. 19. A. Gell. 6. 6. Inter aves autem *oscines*, seu futura ore præcinentes, juxta divinatorum disciplinam maxime insignis erat corvus. Jonstono ob oculos erat illud Horatij lib. 3. Od. 27. *Oscinem corvum prece suscitabo Solis ab ortu.*

CAP. VI. 12. *Obtutu*] Virg. Æn. 1. *Obtutuque hæret defixus in uno.*

13. *Vellera &c.*] Hi 6 versus prius occurrunt, in cap. 4.

21. *Huic*] Hoc & sequente versu pro *huic* forsan legendum *hic*: non enim satis apte sponsum, qui hic loquens inducitur, *huic* potest dicere.

27. *Nimum dixere beatam*] i. e. felicissimam prædicabant. Vox enim *nimum* non semper in vitium vertitur, ut est in proverbio, sed idem interdum est quod supremus gradus, vel perquam, valde, admodum, aut simile quid. Ita nimirum (ni fallor) intelligendus Virg. Geo. 1. *O fortunatos nimum sua si bona norint Agricolas.* i. e. fortunatissimos. Et Claud. de 3. Conf. Hon. 96. *O nimum dilecte Deo.* i. e. supra modum. et ibid. v. 51. *Quoque magis nimum pugna inflammaret amorem.* i. e. ingentem pugnandi ardorem excitaret.

28. *Lacticomæ*] Vocem hanc apud nullum probum auctorem reperio, quanquam multæ sunt ejusdem originis, quales *anguicomus*, *flammicomus*, *flavicomus*, *ignicomus*, sed pleræque vergentis Latini-

tatis temporibus. Hanc ob causam *lacteola* potius ab auctore scriptum arbitror; atque hanc coniecturam non minimum fulcit Middleb. Editio, quæ *lactea* habet, a pro l substituto: quo etiam vocabulo usus est cap. 2. præeunte Catullo, car. 56. 17. *Num te lacteola tenent puella.*

30. *Conseruere latus*] Hoc Ouidio acceptum debet, Ep. 2.  
*Poenitet & lateri conseruisse latus.*

34. *Clypeata seges*] Illud etiam ex Ouidio est, Met. 3. 110.  
—— *Crescitque seges clypeata virorum.*  
aut ex illo Virg. *Æn.* 7.

*Insequitur nimbus peditum, clypeataque totis  
Agmina densantur campis.*——

37. *Gemmis*] *Nodi & germina*, quibus in flores aut folia arbor protuberat, metaphorice vocantur *oculi & gemma*: *oculi* propter corrugationem corticis, quæ circumplicatam oculorum cuticulam imitatur; *gemma* simili metaphora. V. Virg. *Ecl.* 7. 4. *Geo.* 2. 74.

41. *Solymæa*] *Solymæus* aut *Solymæa* apud aliquem melioris notæ scriptorem non reperio, at *Solymus* et *Solyma*. Ita Tac. *Hist.* 5. 2. *Solymos carminibus Homeri celebratam gentem.* Juv. 6. 543. *Interpres legum Solymarum.* Val. Arg. 1. (Namque potes) *Solymo nigrantem pulvere fratrem, &c.* Sed immensa Poetis in nominibus proprijs licentia.

43. *In te*] Responso ad interrogationem videtur. An autem ad Sponsam pertineat, an Hierosolymitanam; atque an per totum sacrum drama suæ cuique personæ partes apte tributæ sunt, Theologis discutiendum relinquo, qui hac in re haud raro diversi abeunt. LXX Interpretes, Latina vulgata, & multæ aliæ versiones hic initium faciunt capitis 7. Forte *in se & habes* legendum.

CAP. VII. 2. *Aluta*] Vox aptissima, est enim *aluta* pellis mollior ad calceos præcipue concinnata, Cæsar lib. 3. B. G. *Pelles pro velis, alutaque tenuiter confecta.* Ita Martial. 2. Ep. 29.

*Non extrema sedet lunata lingula planta,  
Coccina non lesum cingit aluta pedem.*

3. *Dadala*] Opera quæque artificiosa *dadala* dicta sunt, vel a *Dadalo* fabro Atheniensi omnium suæ ætatis artificum ingeniosissimo, vel (ut vult Festus) a verbo *δαδάλλειν*, *variare*. Hinc apud Lucretium *dadala tellus, dadala natura, carmina item & signa dadala,* & apud Virg. *dadala tecta.*

6. *Quem torno*] Virg. æmulatur *Ecl.* 3.

*Lenta quibus torno facili superaddita vitis.*

26. *Dat liquor*] Tritum est illud Horatij,

*Fœcundi calices quem non fecere disertum?*

*More senis*] Quia senibus ingens est atque indefessa loquendi cupiditas, quasi (inquit Barclaius Icon Anim. cap. 1.) *datus a natura stimulus*, ne illi docere gravarentur qui omnium optime possent.

CAP. VIII. 13. *Deserta locorum*] Pro *desertis locis*. Forma loquendi non Poetis modo, sed & Historicis quibusdam fatis frequens, ut *opaca locorum, ardua terrarum, abdita montium, angusta viarum, cava saxorum, devia silvarum, lata camporum.* &c.

15. *Pomus erat, memini*] Imitatio Ovidij Ep. 5. *Populus est, memini.*


19. *Omnia vincit amor*] Notum Virgilij hemistichium.

20. *Cruda*] *Cruente vel crudelis*: a *cruore* enim est *crudus*, & ab hoc *crudelis*, sicut a *fido fidelis*. Hoc sensu Virg. dixit *crudum ens*, Stat. *cruda praelia*.

21. *Undantes flammæ*] Undarum modo erumpentes. Virg. Æn. 12. *Flammis undabat vortex*. Claud. Mar. Viçt. lib. 2. *Undantesque globos flammarum in sidera latos*. Auf. in Perioch. *Undantem clypeus defulgurat ignem*.


28. *Teretes*] *Mammæ pulchre tumescentes* intelligit: est enim *teres* (ut notat Cellarius) *formositatis* vocabulum, & amatoriam quandam pulchritudinem significat: unde Poetæ *teretem cervicem, furas teretes, membra teretia* appellant. Neque id solum *teres* dicitur quod in oblongo rotundum est, ut Festus docuit, sed etiam quod sphericum est et globosum, ut ex Manil. lib. 1. 207, & 230. & l. 3. 353. alijsque auctoribus patet.

F I N I S.



























































































Handwritten text in a rounded rectangular box, likely a signature or a note, located at the bottom center of the page. The text is illegible due to blurriness.



